

*Vana alia excusatio.*

XXVIII. Sunt qui furari se dicant uleiscendi causa, quod ab aliis eadem injuria sint affecti; quibus ita respondendum est: primum nemini licere injurias persequi, deinde non posse quemquam rei suae judicem esse; tum multo minus concedi, ut penas ab aliis repetant eorum quae alii in eum peccaverunt.

*Insana alia excusatio.*

XXXIX. Postremo quidam furtum satis illa ratione defensum tectumque arbitrantur, quod cum sint aere alieno oppressi, aliter eo liberari non possint, nisi illud furto dissolvant, quibuscum ita agendum est, nullum esse gravius aere alienum, et quo magis prematur humanum genus, quam debitum illud, cujus in divina precatone quotidie meminimus: (a) Dimitte nobis debita nostra; quare illud insanissimi hominis esse, plus velle Deo debere, id est, plus peccare, ut quod debet hominibus dissolvat; multoque praestare conjici in carcerem, quam mandari suppliciiis inferorum sempiternis: longe etiam esse gravius Dei quam hominum judicio condemnari: porro autem supplices ipsos ad Dei opem ac pietatem confugere debere, a quo, quid opus sit, possint impetrare.

*Nota.* Sunt alia excusationum genera, quibus parochi prudentes ac sui officii diligentissimi, facile poterunt occurrere, ut aliquando habeant populum (b) sectatorem bonorum operum.

(a) Matth. 6, 12. — (b) Tit. 2, 14.

## DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM.

*Hujus præcepti frequens explicatio necessaria.*

I. Quantam non modo utilitatem, sed etiam necessitatem habeat assidua hujus præcepti explicatio et officii admonitio, nos divi Jacobi monet auctoritas illis verbis: (a) Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: et idem: Lingua modicum quidem membrum est et magna exaltat: ecce quantus ignis quam magna silvam incendit, et quæ sequuntur in eandem sententiam.

*Linguae vitium late patens.*

II. Quibus duo monemur, primum latissime patere hoc linguae vitium: quod etiam illa prophetae sententia confirmatur: (b) Omnis homo mendax; ut propemodum sit unum hoc peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur.

*Lingua malorum innumerabilium instrumentum.*

III. Alterum, inde proficisci mala innumerabilia, cum sæpe maledici hominis culpa facultates, fama, vita, animæ salus amittatur, vel ejus qui læditur, quod contumelias patienter ferre non possit, sed eas impotenti animo persequatur: vel ejus qui lædit, quod pravo pudore, et falsa cujusdam existimationis opinione deterritus adduci non possit, ut illi qui offensus sit satisfaciatur.

(a) Jac. 3, 2. — (b) Ps. 115, 11.

*Ut excipiendum hoc præceptum.*

IV. Quare hoc in loco monendi fideles erunt, ut quantas possunt maximas Deo gratias agant de hoc salutari præcepto non dicendi falsi testimonii; quo non solum ipsi aliis injuriam facere vetamur, sed etiam hac obedientia ab aliorum injuria prohibemur.

*Dux leges in hoc præcepto.*

V. Verum hoc præcepto eadem ratione et via progrediendum est qua in cæteris progressi sumus, ut videlicet animadvertantur in eo due leges.

*Prohibens.*

— Altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium.

*Præcipiens.*

Jubens altera, ut, simulatione fallacis sublati, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur. Cujus officii Apostolus Ephesios illis verbis admonuit: (a) Veritatem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia.

*Prior præcepti pars quid prohibet.*

VI. Sed prior hujus præcepti pars habet hanc rationem, ut quamvis nomine falsi testimonii significetur quidquid in bonam vel in malam partem de altero constanter dicatur, sive in judicio sive extra judicium: tamen præcipue prohibetur illud testimonium, quod in judicio falso dicitur a jurato; jurat enim per Deum testis, quod ita testificantis, et divinum nomen interponens oratio plurimum fidei habet et ponderis.

— Nota. Itaque quia periculosum est hoc testimonium, idcirco præcipue prohibetur: juratos enim testes, nisi exceptionibus legitimis exclu-

(a) Eph. 4, 15.

dantur, aut eorum sit aperta improbitas atque perversitas, ne judex quidem ipse potest rejicere, præsertim cum exstet jussum divina legis, (a) ut in ore duorum, vel trium testimonium stet omne verbum.

*Quis sibi dicendus proximus.*

VII. Sed ut præceptum fideles plane intelligant, docendi erunt, quid significet hoc *proximi* vocabulum, in quem falsum testimonium dicere, minime licet. Est autem proximus, ut ex Christi Domini doctrina colligitur, quicumque eget opera nostra; sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Vide August. Epist. 52, ad Macedon. et de Catech. rudib. c. 26.

*In hostes falsum dicere nefas.*

VIII. Nefas enim est existimare, contra hostes licere falsum aliquid dicere pro testimonio, quos jussu Dei (b) ac Domini nostri diligere oporteat.

*Contra seipsum falsa dicere non licet.*

IX. Quin etiam, quia sibi quisque quadam ratione proximus est, nemini fas est in se falsum testimonium dicere, quod qui committunt, sibi ipsi notam inurentes ignominie ac turpitudinis, et seipsos et Ecclesiam lædunt, cujus sunt membra; quo modo etiam, qui sibi mortem consciscunt, nocent civitati: ita enim est apud sanctum Augustinum: (c) Nec recte intelligentibus poterat videri non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisquam falsus testis assisteret, eo quod in præcepto additum fuit: Contra proximum tuum;

(a) Deut. 19, 15. Matth. 18, 16. — (b) Matth. 5, 44. — (c) Lib. 2 de Civit. Dei, c. 20.

sed non ideo, si adversus seipsam quisque falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putet alienum, quando regulam diligendi proximi, a semetipso dilector accepit.

*Amici gratia falsum testari non licet.*

X. Verum, quia prohibemur proximum lædere falso testimonio, nemo propterea, contrarium permitti nobis arbitretur, ut pejerando liceat conciliare ei qui nobiscum natura ac religione conjunctus sit, aliquid utilitatis aut commodi. Nemini enim mendacio et vanitati, multo minus perjurio studendum est. Quare sanctus Augustinus de *Mendacio ad Crescentium*, c. 12, 13, 14, docet ex Apostoli sententia, mendacium in falsis testimoniis numerandum esse, etiamsi in cujusquam falsa laude dicatur. Nam locum illum tractans: Invenimur autem et falsi testes Dei, si testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Falsum, inquit, testimonium, vocat Apostolus, (a) si quis de Christo et quod ad ejus laudem videtur pertinere, mentitur.

*Uni favens, alteri nocet.*

XI. Sæpissime vero etiam contingit ut qui alteri favet, obsit alteri: certe errandi causa affertur judici, qui interdum falsis testibus adductus, contra jus secundum injuriam statuit et judicare cogitur.

*Reperire falsos testes quam periculosum.*

XII. Nonnunquam etiam fit ut qui ob falsum alicujus testimonium causam judicio vicerit, idque impune tulerit, exsultans iniqua victoria,

(a) 1 Cor. 15, 15.

assuescat corrumpere, et adhibere falsos testes, quorum opera sperat se posse ad id quodcumque concupierit pervenire.

*Falsum testari ipsi testi injuriosum.*

XIII. Est vero id et ipsi testi gravissimum quod et ab eo, quem jurejurando sublevarit e adjuverit, falsus et perjurus agnoscitur, et ipse, quod ei ex sententia succedit scelus, quotidie majorem exercitationem et consuetudinem capit impietatis et audaciæ.

*Forensium mendacia vetantur.*

XIV. Ut igitur testium vanitas, mendacia et perjuria prohibentur, sic et accusatorum et reorum et patronorum cognatorum, et procuratorum, advocatorum, et omnium denique qui judicia constituunt.

*Falsum testari ubique prohibendum.*

XV. Postremo vetat Deus omne testimonium non modo in judicio, sed etiam extra judicium, quod alteri incommodum aut detrimentum possit afferre. Est enim in Levitico, quo loco hæc præcepta iterantur, his verbis: (a) Non facietis furum, non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum, ut nemini dubium esse possit, quin a Deo omne mendacium hoc præcepto ejectum condemnentur; quod apertissime testatur David in hunc modum: (b) Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

*Detractionis vitium detestabile.*

XVI. Prohibetur autem hoc præcepto non modo falsum testimonium, sed detestabilis etiam libidinis et conuetudo detrahendi alteri: quia ex peste,

(a) Lev. 19, 11. — (b) Ps. 5, 7.

incredibile est, quam multa, et quam gravia, et incommoda, et mala nascantur. Hoc vitium maledice et contumeliose dicendi occulte in alterum, passim improbant divine Litteræ. Cum hoc, inquit David, (a) non edebam; et sanctus Jacobus: (b) Nolite detrahare alterutrum, fratres mei.

*Exemplum.*

Nec vero præcepta solum sacræ Litteræ, sed etiam exempla suppeditant, quibus sceleris magnitudo declaratur: Nam et Aman (c) confictis criminibus adeo incendit in Judæos Assuerum, ut iis omnes ejus gentis homines imperarit occidi. Referta est hujusmodi exemplis sacra historia: quorum commemoratione sacerdotes operam dabunt, ut fideles a rei improbitate deterreant.

*Detractores qui sint.*

XVII. Ut autem peccati hujus vis, quo de altero detrahitur, omnino perspicatur.

*Primo.* — Sciendum est, non tantum adhibita calumnia offendi hominum existimationem.

*Secundo.* — Sed et augendis amplificandisque criminibus, et si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod tibi rescitum fuerit, grave aut turpe sit ad famam, eam rem, qui, ubi, quando, quibus non necesse sit pervulgarit, is obtrectator et maledicus jure dicitur.

*Tertio.* — Verum totius obtrectationis nulla capitalior est, quam eorum, qui catholice doctrinæ ejusque prædicatoribus obtrectant.

*Quarto.* — In simili culpa sunt, qui malarum doctrinarum et errorum magistrosex tollunt laudibus.

*Quinto.* — Nec vero ab horum hominum numero et culpa sejunguntur qui, detrahentibus et maledicentibus hominibus patefacientes aures, non

(a) Ps. 100, 5. — (b) Jac. 4, 11. — (c) Esth. 15.

reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Detrahare enim vel detrahentem audire, scribunt SS. Hieronymus et Bernardus, utrum damnabilis sit, non facile constat, non enim essent qui detraherent, si non adessent qui detrahentes audiret. S. Hieronym. *Epist. ad Nepotianum circa finem.* Div. Bernard. *lib. 2 de Consider. ad Eugen. in fine.*

*Sexto.* — In eodem genere sunt, qui suis artificii distrahunt homines, et inter se committunt, magnopereque serendis discordiis delectantur: ut summas conjunctiones ac societates fictis sermonibus dirimentias, amicissimos viros ad immortales inimicitias et ad arma compellant. Hanc pestem sic detestatur Dominus: (a) Non eris criminator neque susurro in populo. Tales erant multi ex consiliariis (b) Saulis, qui ejus voluntatem a Davide alienare et in illum regem incitare conabantur.

*Septimo, assentatores.* — Peccant denique in hanc partem blandi homines et assentatores, qui blanditiis et simulatis laudibus influunt in aures et in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam et honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam: (c) Malum bonum et bonum malum: quos ut arceamus et pellamus a consuetudine nostra, monuit nos David illa ratione: (d) Corripit me justus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quanquam enim isti proximo minime maledicunt, tamen ei maxime nocent, qui vel laudandis ejus peccatis, afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis quandiu vixerit.

(a) Lev. 19, 16. — (b) 1 Reg. 24 et 26. — (c) Isa. 5, 20. — (d) Ps. 140, 5.

*Assentatio pejor.*

Et quidem in hoc genere illa est assentatio deterior, quæ ad proximi calamitatem et perniciem adhibetur; sic Saul, cum Davidem furori et ferro Philistæorum obijcere cuperet, ut occideretur, ei blandiebatur illis verbis: (a) Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis et prælari bella Domini; sic Judæi insidiosa oratione Christum Dominum sunt affati: (b) Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces.

*Assentatio pessima.*

Longe autem perniciosior oratio est amicorum, affinium et cognatorum, quæ ad eos interdum utuntur assentatorie, qui mortifero morbo affecti jam sunt in extremo spiritu: dum affirmant, nulum esse tum ei a morte periculum; dum lætum et hilarem esse jubent, eumque a peccatorum confessione, tanquam a tristissima cogitatione, deterrent; dum denique ejus animum avertunt ab omni cura et meditatione extremorum periculorum in quibus maxime versatur. Quare fugiendum est omne mendaciorum genus; sed illud in primis, quo gravi damno quisquam affici possit.

*Nota.* Plenissimum vero impietatis est mendacium, cum quis in religionem, vel de religione mentitur.

*Octavo, libelli famosi auctor.*

Sed etiam illis maledictis et probris graviter offenditur Deus, quæ committuntur libellis, quos famosos vocant, et aliis hujus generis contumeliis. *De libellis famosis, vide Bullam Pii V, 147, datam anno 1572, et Bullam Gregorii XIII, 4, datam eodem anno.*

(a) 1 Reg. 18, 17. — (b) Matth. 22, 16. Marc. 12, 14.

*Mendacium jocosum prohibetur.*

XVIII. Præterea joco vel officii causa fallere mendacio, etsi nemo in illo vel damnum, vel lucrum fecerit, tamen omnino indignum est: ita enim nos Apostolus admonet: (a) Deponentes mendacium, loquimini veritatem. *Vide D. Thom. 2, 2, quæst. 10, art. 3 et 4.*

*Nota rationem.*

Nam in eo est ad frequens graviusque mendacium magna proclivitas: et ex jocosis mendaciis capiunt homines mentiendi consuetudinem, unde veniunt in opinionem, non esse veraces, quamobrem, ut fidem faciat eorum oratio, necesse habent jurare perpetuo.

*Omnis simulatio prohibetur.*

XIX. Postremo, priore parte hujus præcepti simulatio repudiatur; nec modo quæ simulate dicuntur, sed quæ ita fiunt, cum scelere conjuncta sunt; tam enim verba quam facta, notæ ac signa quædam sunt eorum quæ sunt in animo ejusque, ob eamque causam Dominus sæpe Pharisæos arguens, (b) hypocritas appellat. Et hæc de priore præcepti lege, quæ ad vetandum spectat. *Vide D. Thom. 2, 2, quæst. 211, per totam.*

*Altera præcepti pars.*

XX. Nunc explicemus quid in altera jubeat Dominus. Pertinet autem hæc præcepti vis et ratio ad id, ut juste et ex legibus forensia judicia exerceantur, neve occupent homines et usurpent judicia.

*Judex nequit non subditum judicare.*

XXI. Non enim fas esset alienum servum judi-

(a) Ephes. 4, 25. — (b) Matth. 15, 7, 23, 14, 15, 23, 29.

care (a), ut scribit Apostolus, ne re et causa incognita, sententiam ferant: quo in vitio fuit sacerdotum et scribarum consilium, (b) qui desancto Stephano iudicaverunt; quod item peccatum fuit magistratum Philippensium, de quibus inquit Apostolus: (c) Casos nos publice, indemnos, homines Romanos miserunt in carcerem; et nunc occulte nos eiciunt. *Vide in 6. lib. 5. tit. 7. de Privilegiis, c. 1, et ibidem lib. 2. tit. 2. de Foro competenti.*

*Judicibus quid præcipiendum.*

XXII. Ne condemnent innocentes aut nocentes absolvant, ne pretio aut gratia, ne odio aut amore moveantur. Sic enim Moyses seniores admonet, quos populi iudices constituerat. (d) Quod justum est, iudicate, sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cu usquam personam quia Dei iudicium est.

*Sontes interrogati juridice mentiri non possunt.*

XXIII. De reis autem et sontibus, vult eos Deus verum confiteri, cum ex iudicii formula interrogantur; est enim testimonium ac prædicatio laudam illa confessio laudis et gloriae Dei ex ipsius Josue sententia, qui Acham ad veri confessionem adhortatus, inquit: (e) Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel. *Vide D. Thom. 2. 2. quæst. 69. per totos 4 articulos.*

*De testibus hoc agendum.*

XXIV. Sed quoniam hoc præceptum testes potissimum attingit, de his etiam a parochio dili-

(a) Rom. 4, 16. — (b) Act. 7, 59. — (c) Ibid. 16, 57. — (d) Deut. 1, 16. — (e) Jos. 7, 19.

genter agendum erit: nam præcepti vis ea est, ut non solum prohibeat falsum testimonium, sed verum etiam dici imperet.

*Testimonii usus maximus.*

XXV. Est enim in humanis rebus maximus usus veri testimonii, quod sunt innumerabiles res, quas a nobis ignorari necesse sit, nisi eas ex testium fide cognoscamus. Quare nihil tam necessarium est, quam testimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipsi scimus, neque tamen licet ignorare. De quo exstat illa sancti Augustini sententia: Qui veritatem occultat et qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult; hic, quia nocere desiderat. *Hæc sententia citabatur olim a Gratiano ex August., sed apud August. non est inventa: similiter legitur apud Isid. l. 5, c. 19.*

*Quando verum tacere licet, et contra.*

XXVI. Licet vero interdum verum tacere, sed extra iudicium: nam in iudicio, ubi testis legitime interrogatur a iudice, vera omnino patefacienda sunt.

*Nota.* Quo loco cavendum tamen est testibus, ne suæ memoriæ nimium confisi, quod exploratum non habent, id pro certo asserant.

*Advocatis quæ præcipienda.*

XXVII. Reliqui sunt patroni causarum et advocati, actores deinceps et petitores. Illi igitur opera ac patrocinio suo non deerunt necessariis hominum temporibus; et egentibus benigne subvenient, tum injustas causas defendendas non suscipient, neque calumnia lites protrahent, nec alent avaritia.

*Nota.* Quod ad mercedem attinet laboris et opere suæ, illa jure et æquo metiantur. *Vide 14,*

quæst. 5, c. Non sane; D. Thom. 2, 2, q. 74, art. 5.

*Petitoribus et accusatoribus præcienda.*

XXVIII. Petitores vero et accusatores monendi sunt, ne cuiquam amore aut odio, aut cupiditate aliqua adducti periculum iniquis criminationibus creent. Jussum hoc denique divinitus scriptum est piis omnibus, ut in congressibus et colloquiis vere semper et ex animo loquantur, nihil dicant, quod alterius existimationi possit officere, ne de illis quidem, a quibus lædi se et exagitari intelligunt: cum illud propositum habere debeant, sibi cum illis eam necessitudinem et societatem intercedere, ut membra sint ejusdem corporis.

*Dicenda contra mendacium.*

XXIX. Ut autem libentius hoc mendacii vitium caveant fideles, proponet eis parochus summam hujus sceleris miseriam ac turpitudinem.

*Primum.* — Nam in sacris Litteris, mendacii pater dæmon dicitur, quod enim dæmon (a) in veritate non stetit, mendax est et mendacii parens.

*Secundum.* — Adjunget, ad ejiciendum tantum flagitium, ea mala quæ mendacium consequuntur; et quoniam sunt innumerabilia, fontes et capita incommodorum et calamitatum monstrabit.

*Tertium.* — Ac primum in quantam eadæ Dei offensionem, quantumve ejus odium incurrat homo vanus et mendax, Salomonis auctoritate declarabit eo loco: (b) Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effluentem

(a) Joan. 8, 42. — (b) Prov. 6, 16, etc.

innoxium sanguinem, eorum machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem: et quæ sequuntur.

*Quartum.* — Quis igitur ei præset incolumitatem qui in insigni odio sit apud Deum, quominus gravissimis afficiatur suppliciis?

*Quintum.* — Deinde quid impurius aut fœdus, ut sanctus inquit Jacobus, (a) quam eadem lingua qua benedicimus Deum et Patrem, maledicere homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti sunt, ita ut fons de eodem foramine emanet dulcem et amaram aquam?

*Sextum.* — Quæ enim lingua prius laudem et gloriam Deo tribuebat, postea, quantum in ea est, eum ignominia afficit ac dedecore mentiendo.

*Septimum.* — Quare fit, ut a cœlestis beatitudinis possessione mendaces excludantur. Cum enim in hunc modum quæreret a Deo David: (b) Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? respondit Spiritus sanctus: Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

*Octavum.* — Maximum vero etiam illud in mendacio incommodum est, quod fere est insanabilis in animi morbus.

*Mendacium insanabile unde.*

XXX. Cum enim peccatum, quod inferendo falso crimine, aut proximi fame, et existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei quem criminatus injuriarum fuerit, satisfaciatur: id autem difficile fiat ab hominibus, primo, ut antea monuimus, pudore et inani quadam dignitatis opinione deterritis: qui

(a) Jac. 5, 9. — (b) Ps. 14, 1, 2.

in eo peccato sit, hunc addictum esse æternis inferorum pœnis dubitare non possumus.

*Notent obtrectatores.*

Neque enim quisquam speret, se calumniarum, vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciatur de cuius dignitate et fama, aut publice in iudicio, aut etiam in privatis et familiaribus congressibus aliquid detraxerit.

*Quantum detrimentum ex mendacio.*

XXXI. Præterea latissime patet hoc detrimentum et in ceteros diffunditur, qua vanitate et mendacio fides ac veritas tolluntur, arcissima vincula societatis humanæ: quibus sublatis, sequitur summa vitæ confusio, ut homines nihil a dæmonibus differre videantur.

*Loquacitas vituperanda.*

XXXII. Docebit porro vitandam esse loquacitatem parochus: cuius vitiatione, et reliqua peccata fugiuntur, et est magna cautio mendacii; a quo vitio loquaces sibi haud facile temporare possunt.

*Prima excusatio mendacii recusanda.*

XXXIII. Postremo iis illum errorem eripiet parochus, qui se in vanitate orationis excusant et mendacium prudentium exemplo defendunt: quorum esse aiunt, mentiri in tempore licet, id quod verissimum est, (a) prudentiam carnis, mortem esse.

*Nota.* Hortabitur auditores ut in difficultatibus et angustiis Deo confidant, neque ad artificium mentiendi confugiant: nam illi, qui utuntur perfugio, facile declarant se sua magis niti prudentia, quam in Dei providentia spem ponere.

(a) Rom. 8.

*Secunda excusatio nulla.*

Qui causam sui mendacii conferunt in eos a quibus sunt mendacio decepti, hi docendi sunt non licere hominibus seipos ulcisci, (a) neque malum malo compensandum esse; sed potius vivendum in bono malum: quod si etiam fas esset hanc referre gratiam, nemini tamen utile, se suo ulcisci detrimento: esset autem id gravissimum detrimentum, quod mendacium dicendo facimus.

*Tertia excusatio vana.*

Iis qui afferunt humanæ naturæ imbecillitatem et fragilitatem, tradendum erit hoc officii præceptum, ut divinum auxilium implorent, nec infirmitati humanitatis obtemperant.

*Quarta excusatio inepta.*

Qui consuetudinem opponunt, admonendi sunt, simentiri assueverunt, ut dent operam, ut contrariam consuetudinem capiant vere loquendi, præsertim cum, qui usu et consuetudine peccant, gravius delinquant quam ceteri.

*Quinta excusatio ridicula.*

Et quoniam non desunt, qui se tegant excusatione cæterorum hominum, quos passim mentiri et pejerare contendunt, hac ratione illi ab ea opinione deducendi sunt non esse imitandos malos, sed reprehendendos et corrigendos; cum autem ipsi mentimur, minus auctoritatis in reprehensione et correctione alterius nostram habere orationem.

*Sexta excusatio mala.*

Alios se ita defendentes, quod vera dicendo, sæpe incommodo sint affecti, sic repellent, sacer-

(a) Rom. 12, 17, 21.



dotes, esse illam accusationem, non defensionem : cum sit officium christiani hominis, quamvis potius facere iacturam, quam mentiri.

*Dux aliarum excusationum refellendarum.*

Restat duo genera eorum qui se in mendacio excusant, alteri qui dicant se joci causa mentiri, alteri se idem facere utilitatis gratia; quippe qui bene nec emerent, nec venderent, nisi mendacium adhiberent. Utrosque a suo errore parochi avertere debebunt. Ac superiores quidem illos a vitio abducent, et docendo quantum eo in genere peccandi consuetudinem augeat usus mentiendi, et illud inculcando, (a) omnis otiosi verbi reddendam esse rationem. Proximos etiam hos acerbius objurgabunt, quorum in excusatione gravior insit illorum ipsorum accusatio, qui præ se ferant, se minime illis Dei verbis fidem et auctoritatem tribuere: (b) Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI : NEC DESIDERABIS UXOREM EJUS, NON SERVUM, NON ANCIILLAM, NON BOVEM, NON ASINUM, NEC OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT.

*Horum præceptorum vis et amplitudo.*

1. In his duobus præceptis, quæ postremo loco tradita sunt, illud in primis sciendum est : rationem fere constitui, quæ cætera præcepta servantur : nam quod his verbis præscriptum est, eo spectat, ut si quis studet superiora legis jussa servare, hoc maxime faciat, ne concupiscat; quoniam qui non concupiscet, suis contentus, aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo

(a) Math. 12, 56. — (b) Math. c. 55.

immortali gloriam tribuet, gratias eidem maximas aget. Sabbathum colet, id est, quiete perpetua fruetur, majoresque venerabitur : neminem denique neque re, neque verbis, neque ullo alio modo lædet. Nam stirps, ac semen malorum omnium est prava concupiscentia, qua qui incensi sunt, præcipientes feruntur in omne flagitiorum et scelerum genus. Vide Aug. lib. 1 *Retract.* c. 15, et *Epist.* 200, lib. 9 de *Civitate Dei*, c. 4 et 5.

*Nota.* His animadversis et parochus in iis, quæ sequuntur, tradendis diligentior, et fideles ad audiendum erunt attentiores.

*Hæc duo præcepta cur simul tradita hic.*

II. Sed quanquam hæc duo præcepta conjuxerimus, propterea quod, cum non dissimile sit, eorum argumentum, eamdem docendi viam habent, parochus tamen et cohortando et monendo poterit communiter vel separatim, ut commodius sibi videbitur, ea tractare; sin autem decalogi interpretandi munus susceperit, demonstrabit, quæ sit horum duorum præceptorum dissimilitudo, quidve una concupiscentia ab altera differat, quam differentiam libro questionum in Exodum dixit Augustinus declarat. *Quæst.* 77, in *Exod.* Vide item *D. Thom.* 2, 2, *quæst.* 122, art. 6 ad 5 et 4.

*Noni et decimi præceptorum differentia.*

III. Nam ex iis altera solum spectat, quid utile sit, quid fructuosum : alteri præpositæ sunt libidines et voluptates. Si quis igitur fundum aut domum concupiscit, is lucrum potius et quod utile est, consecratur quam voluptatem : si vero alienam uxorem appetit, non utilitatis, sed voluptatis cupiditate ardet.

*Horum præceptorum necessitas.*

IV. Verum horum præceptorum duplex fuit necessitas.

*Prima.* — Altera, ut sexti septimique præcepti sententia explicaretur; nam etsi quodam nature lumine intellectum est, alienæ uxoris potiunde cupiditatem prohiberi, vetito adulterio; nam si concupiscere liceret, fas item esset potiri: tamen plerique ex Judæis, peccato obcæcati, in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent, id a Deo prohibitum esse: immo vero lata et cognita hac Dei lege, multi qui se legis esse interpretes profitebantur, in eo errore versati sunt, id quod animadvertere licet ex illo Domini sermone apud sanctum (a) Matthæum: Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, et quæ sequuntur.

*Altera necessitas.*

V. Altera est horum præceptorum necessitas, quod aliqua distincte explicataeque vetantur, quæ sexto et septimo explicatae non prohibebantur: nam, exempli causa, septimum præceptum prohibuit ne quis injuste concupiscat aliena, aut eripere conetur; hoc autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi jure, legeque assequi id possit, ex cuius adeptione proximo damnum importari videat.

*Cur Deus hæc duo præcepta cæteris addiderit.*

VI. Sed illud in primis, antequam ad præcepti explicationem veniamus, fideles docendi erunt, nos hac lege non ad id solum institui, ut cupiditates nostras cohibeamus, sed etiam Dei erga nos pietatem quæ immensa est, cognoscamus.

(a) Matth. 5, 27.

*Nostri causa addita sunt hæc præcepta.*

VII. Nam cum superioribus legis præceptis nos quibusdam quasi præsidii munisset, ne quis nos ipsos aut nostra violaret; hoc adjuncto præcepto, illud maxime providere voluit, ne appetitionibus nostris nos ipsi lederemus: quod facile futurum fuit, si omnia cupere atque optare liberum nobis atque integrum esset, hac igitur non concupiscendi lege præscripta, illud a Deo provisum est, ut cupiditatum aculei, quibus ad perniciosa quæque incitari solemus, hujus legis vi quodam modo excussi, nos minus urgeant majusque propterea temporis spatium nos molesta illa cupiditatum sollicitudine liberati, ad ea præstanda pietatis et religionis officia habeamus, quæ ipsi Deo multa maximaque debemus.

*Non externis solum, sed internis actibus legi Dei obediendum.*

*Similitudo singularis.*

VIII. Neque id solum hæc lex nos docet, verum etiam illud ostendit, legem Dei ejusmodi esse, quæ non externis solum munerum functionibus, sed etiam intimo animi sensu servanda sit; hocque inter divinas et humanas leges interest, quod hæc rebus tantum externis contentæ sunt, illæ vero, quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram, sinceramque castitatem atque integritatem requirunt.

Est igitur divina lex quasi speculum quoddam, in quo naturæ nostræ vitia intuemur, quamobrem dixit Apostolus: (a) Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Cum enim concupiscentia, id est, peccati fomes, qui ex peccato

(a) Rom. 7, 7.

originem habuit, perpetuo nobis infixus inhæreat : ex hoc agnoscimus, in peccato nos nasci ; quapropter supplices ad eum confugimus, qui solus potest peccati sordes eluere.

*Nota.* Habent autem hæc singula præcepta illud cum cæteris commune, ut partim aliquid vetent, partim jubeant : quæ omnia dis-junctim ut perfecte intelligantur, a parocho exponenda sunt.

*Non omnis concupiscentia hic vetatur.*

IX. Quod ad prohibendi vim attinet ne quis forte arbitretur concupiscentiam illam, quæ vitio caret, aliquo modo vitium esse, ut (a) concupiscere spiritum adversus carnem, vel (b) expetere justificationes Dei in omni tempore, id quod David summopere cupiebat, parochus doceat quæ concupiscentia illa sit, quam hujus legis præscripto fugere oporteat.

*Quid sit concupiscentia.*

X. Quare sciendum est concupiscentiam esse commotionem quamdam ac vim animi, qua impulsio homines, quas non habent, res jucundas appetunt.

*Concupiscentiæ non malæ.*

XI. Et quemadmodum reliqui animi nostri motus non perpetuo mali sunt ; ita hæc concupiscendi vis non semper in vitio est ponenda, neque enim propterea malum est, si cibum aut si potum appetimus ; aut cum frigemus, si calescere ; aut contra, cum calemus, si frigescere cupimus.

*Concupiscentia peccato vitata.*

XII. Et quidem recta hæc concupiscendi vis, Deo auctore, nobis a natura insita est : sed pri-

(a) Gal. 5, 17. — (b) Ps. 118, 20.

morum parentum nostrorum peccato factum est, ut illa nature fines transiliens, usque adeo depravata sit, ut ad ea concupiscenda sæpe incitentur, quæ spiritu ac rationi repugnant.

*Rectæ concupiscentiæ utilitas.*

XIII. Quin etiam hæc vis, si moderata est, suisque finibus continetur, sæpe etiam non mediocres utilitates præbet.

*Prima.* — Nam illud primum efficit ut assiduis precibus Deum oremus, supplicesque ab eo petamus quæ maxime cupimus : oratio enim cupiditatis nostræ interpretis est : quod si recta hæc concupiscendi vis abesset, non tam multæ preces essent in Ecclesia Dei.

*Secunda.* — Efficit præterea ut cariora sint nobis Dei munera : quo enim vehementiori alicujus rei cupiditate flagramus, eo carior illa nobis res est atque jucundior, cum eam adepti sumus.

*Tertia.* — Tum vero delectatio ipsa, quam ex re concupita sentimus, facit, ut majore pietate gratias Deo agamus : itaque, si concupiscere aliquando licet, fateamur necesse est, non omnem concupiscendi vim prohibitam esse. Et quamquam divus Paulus (a) concupiscentiam peccatum esse dixit, id in eam tamen sententiam accipiendum est, in quam Moyses (b) locutus est, cujus ille testimonium affert, id quod ipsius Apostoli oratio declarat : nam illam carnis concupiscentiam vocat in Epistola ad Galatas : (c) Spiritu, inquit, ambulate, et desideria carnis non perficietis.

*Dux bonæ concupiscentiæ.*

XIV. Naturalis igitur illa cupiditatis vis et moderata quæ fines suos non egreditur, non veta-

(a) Rom. 7, 20. — (b) Exod. 20, 17. — (c) Gal. 5, 16.

tur, multoque munus spiritualis illa recte mentis cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitatur, quæ carni repugnant: ad hanc ipsam enim sacræ Litteræ nos adhortantur: (a) Concupiscite sermones meos, et: (b) Transite ad me omnes qui concupiscitis me.

*Quæ concupiscentia hic vetatur.*

XV. Itaque hoc interdicto non ipsa concupiscendi vis, qua tum ad bonum, tum ad malum uti licet, sed usus pravæ cupiditatis, quæ carnis concupiscentia et peccati fomes vocatur: ac si animi ascensionem adjunctam habeat, semper in vitis numeranda est, omnino prohibetur.

*Concupiscentia carnis explicatur.*

XVI. Ergo ea tantum concupiscendi libido vetita est, quam carnis concupiscentiam vocat Apostolus, illi scilicet concupiscendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo constitutis continentur.

*Prima ratio cur vetetur hæc concupiscentia.*

XVII. Hæc cupiditas damnata est, vel quia malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia et alia ejusmodi nefaria scelera, de quibus ita Apostolus: (c) Non simus, inquit, concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt.

*Secunda ratio.* — Vel quia, etsi res natura sua malæ non sunt, causa tamen aliunde exstat, quare illas concupiscere nefas sit: quo in genere sunt ea, quæ ne possideamus, Deus aut Ecclesia prohibet; non enim ea nobis appetere licet, quæ possidere omnino nefas sit, qualia olim in veteri

(a) Sap. 6, 12. — (b) Eccli. 24, 26. — (c) 1 Cor. 10, 6.

lege fuerunt aurum et argentum, ex quibus idola conflata erant, quæ Dominus in Deuteronomio vetuit, (a) ne quis concupisceret.

*Tertia ratio.* — Ob eam præterea causam hæc cupiditas vitiosa prohibetur: quoniam, quæ appetuntur, aliena sunt, ut domus, servus, ancilla, ager, uxor, bos, asinus et alia multa quæ cum aliena sint, ea concupiscere vetat divina lex.

*Hæc concupiscentia grave peccatum, et quando committitur.*

XVIII. Rerumque ejusmodi cupiditas nefaria est, et in peccatis gravissimis numeratur, cum illis concupiscendis animi præbetur assensus: nam tum peccatum natura existit, cum post malorum cupiditatum impulsu animus rebus pravis delectatur, atque his vel assentitur, vel non repugnat; id quod divus Jacobus, (b) cum peccati originem et progressionem ostendit, illis verbis docet: Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. *Vide divum Thomam, 1, 2, q. 4, art. 7 et 8. Item August. lib. 12 de Trinit. c. 12. Item de Serm. Domini in monte, c. 25. Greg. hom. 19 in Evang. et lib. 4 Moral. c. 27, et in Repons. 11, ad interrog. Aug. Hieron. in Amos, c. 1.*

*Scopus noni et decimi præceptorum.*

XIX. Cum igitur lege ita caveatur: Non concupisces; hæc verba ad eum sensum referuntur, ut nostras cupiditates a rebus alienis colibeamus: alienarum enim rerum cupiditatis sitis immensa est atque infinita, neque unquam satiatur, ut scriptum est: (c) Avarus non implebitur pecu-

(a) Deut. 7, 25, 26. — (b) Jac. 1, 14. — (c) Eccl. 5, 9.

nia; de quo ita est apud Isaiam: (a) Væ qui conjungitis domum ad domum et agrum agro copulatis.

*Verba expenduntur.*

XX. Sed ex singularum vocum explicatione facilius intelligetur hujus peccati foeditas et magnitudo.

*Domus quid hic significat.*

XXI. Quare parochus docebit, domus vocabulo non locum modo quem incolimus, sed universam hereditatem significari, ut ex divinarum scriptorum usu consuetudineque cognoscitur. In Exodo scriptum est: (b) Obstetricibus a Domino domos esse ædificatas: sententia eo spectat, ut illarum facultates ab eo auctas esse atque amplificatas interpretemur.

*Appetendæ domus alienæ prohibitio quid hic intendit.*

XXII. Ex hac igitur interpretatione animadvertimus hac præcepti lege vetitum nobis esse, ne divitias avidè expetamus, neque alienis opibus, potentie, nobilitati invidiamus: sed statu nostro, qualis ille sit, sive humilis sive excelsus, contenti simus: alienæ deinde gloriæ appetitionem vitiam esse intelligere debemus, nam hoc item ad domum pertinet.

*Per bovem et asinum quid hic intelligatur.*

XXIII. Quod vero sequitur: Non bovem, non asinum, id ostendit non solum quæ magna sunt, ut domus, nobilitas et gloria, ea cum aliena sint, concupiscere nobis non licere: sed etiam parva, qualiacumque illa sint, animata, sive inanimata.

(a) Is. 5, 8. — (b) Exod. 1, 21.

*Quid per servum.*

XXIV. Sequitur deinceps: Neque servum, quod intelligendum est tam de captivis, quam de reliquo genere servorum; quos ut cetera alterius bona concupiscere non debemus.

*Qui aliis serviunt, non sunt avertendi.*

XXV. Liberos vero homines qui voluntate serviunt, vel mercede conducti, vel amore observantiaque impulsivi, nullo modo, neque verbis, neque spe, neque pollicitationibus, neque præmiis quis corrumpere aut sollicitare debet, ut eos deserant quibus se ipsi sponte addixerunt.

*Nota.* Imo verò, si ante id tempus quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint, hujus præcepti auctoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur.

*Mentio proximi cur hic fiat.*

XXVI. Quod autem in præcepto mentio fit proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonstretur; qui vicinos agros, aut proximas domos aut aliam rem ejusmodi, quæ secum continens sit, appetere solent.

*Nota.* Vicinitas enim, quæ in parte amicitie ponitur, ab amore ad odium cupiditatis vitio traducitur.

*Res alienas emere cupiens non peccat.*

XXVII. Hoc verò præceptum si minime violant qui res quas proximi venales habent, emere de illis cupiunt, aut justo pretio emunt; si enim non modo proximum non lædunt, sed valde adjuvant, eum ei pecunia majori commodo, usuique futura sit, quam res illæ quas ipse venditat.

*Lex de non concupiscenda uxore proximi explicatur.*

XXVIII. Hanc de re aliena non concupiscenda

legem altera sequitur, quæ prohibet ne alienam concupiscamus uxorem : qua lege concupiscendi libido non ea quidem tantum prohibita censetur, qua adulter alterius uxorem appetit, sed etiam qua affectus aliquis alterius uxorem in matrimonium ducere concupiscit; eo enim tempore, cum repudii permittebatur libellus, illud facile evenire poterat, ut quæ ab uno repudiata esset, eam alter uxorem aciperet.

*Hæc lex cur lata sit.*

XXIX. At hoc Dominus vetuit ne aut mariti ad uxores relinquendas sollicitarentur, aut uxores maritis difficiles se ac morosas ita præberent, ut eam ob causam quædam quasi necessitas viris imponeretur illas repudiandi.

*Uxorem alterius concupiscere grave peccatum.*

XXX. Nunc vero gravius est peccatum, cum mulierem, etiamsi a viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque qui alterius uxorem concupiscet, facile ex una in aliam incidet cupiditatem.

*Nota.* Aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet.

*Alteri sponsalam cupere nefas.*

XXXI. Atque hoc idem de iis mulieribus dicitur, quæ alteri deponsate sunt; neque enim has item concupiscere licet, cum ii, qui hæc pacta rescindere student, violent sanctissimum fidei fœdus.

*Item Deo consecratam.*

XXXII. Et quemadmodum quæ alteri nupta est, eam concupiscere omnino nefas est; sic, quæ ad Dei cultum religionemque est consecrata, nullo pacto licet illam uxorem appetere.

*Nota hunc casum.* Si vero quis mulierem quæ nupta est, cum eam in nuptas esse opinetur, uxorem sibi dari concupiscit, neque si in matrimonium alii collocatam intelligeret, eam nuptam sibi dari cuperet (id quod (a) Pharaoni et (b) Abimelech contigisse legitimus, qui Saram in matrimonio habere concupierunt, cum eam minime nuptam Abraham quæ sororem, non uxorem arbitrarentur, ille certe, qui eo animo est, ejusmodi præcepti legem violare non videtur.

*Remedia adversus noxias concupiscentias.*

XXXIII. Sed ut parochus remedia patefaciat, quæ ad tollendum hoc cupiditatis vitium accommodata sunt, explicare alteram præcepti rationem debet, quæ in eo consistit, ut, (c) si divitiæ affluant, cor non apponamus, easque pietatis et divinarum rerum studio objicere parati simus, et in sublevandas pauperum miseras libenter pecuniam erogemus; si desint facultates, egestatem æquo et hilari animo feramus. Et quidem si rebus nostris dandis liberalitate utemur, rerum alienarum cupiditates restinguemus. De paupertatis autem laudibus, divitiarumque despicientia, in sacris Litteris et apud sanctos Patres (d) facile erit parocho multa colligere et fideli populo tradere.

(a) Gen. 12. — (b) Ibid. 20. — (c) Ps. 61, 41. — (d) Vide Hier. Epist. 1 ad Heliod. et 8 ad Demetriadem, et 150 ad Hebediam, quæst. 1 et 16 ad Pammach. Item Basil. in Regul. fusiis disputatis, interrog. 9. Chrys. in Epist. ad Rom. ad hæc verba: Salutata Priscam, Cassian. lib. de Institut. monach. c. 15 et 55, et Collat. 25, c. 26. Greg. hom. 18, in Ezech. Amb. in c. 6 Luc. Leo Mag. in serm. de omnib. Sanctis. August. lib. 17, de Civitate Dei, et Epist. 98 ad Hilar. et Epist. 109.

*Altera pars præcipiens.*

XXXIV. Hac item lege præcipitur, ut ardenti studio summaque cupiditate optemus id potissimum effici, non quod nos concupiscimus, sed quod Deus vult, quemadmodum Domini oratione exponitur.

*Voluntas Dei erga nos quæ.*

XXXV. Voluntas autem Dei in eo maxime est, ut nos singulari quodam modo sancti efficiamur, animumque nostrum sincerum atque ab omni labe purum integrumque conservemus et exerceamus nos in iis mentis ac spiritus officiis, quæ corporis repugnant sensibus: horumque edomitæ appetitionibus, ratione ac spiritu duce, rectum vitæ cursum teneamus: quive præterea sensus materiam cupiditatibus nostris, libidini que præbent, eorum vim maxime reprimamus.

*Prævi cupiditatis antidota.*

XXXVI. Sed ad hunc cupiditatum ardorem restringendum, plurimum etiam hoc potest: si quæ incommoda ex illis accidunt, ea nobis ob oculos proponamus.

*Primum.* — Primum vero illud incommodum est, quod quoniam ejusmodi cupiditatibus paremus, in anima nostra regnat summa peccati vis ac potestas; quamobrem monuit Apostolus: (a) Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Nam quemadmodum, si cupiditatibus resistimus, peccati vires concident: ita, si iisdem succumbimus, Dominum a regno suo expellimus, et in ejus locum peccatum introducimus.

*Secundum.* — Alterum præterea incommodum

(a) Rom. 6, 12.

est, quod ab hac concupiscendi vi, veluti fonte quodam, omnia peccata manant, ut divus (a) Jacobus docet. Divus item (b) Joannes: Omne, inquit, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

*Tertium.* — Tertium incommodum in eo est, quoniam rectum animi iudicium his cupiditatibus obscuratur: homines enim iis cupiditatum tenebris obeccati, honesta et præclara putant omnia quæcumque ipsi concupiscunt.

*Quartum.* — Opprimitur præterea concupiscendi vi verbum Dei, quod in animis nostris a magno illo agricola Deo insitum est; sic etiam apud divum Mareum scriptum est: (c) Alii sunt, qui in spinis seminantur, hi sunt, qui verbum audiunt; et arumnae seculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant verbum et sine fructu efficiunt.

*Cupiditatis vitio laborant.*

XXXVII. Jam vero qui præ cæteris hoc cupiditatis vitio laborant, quosque propterea parochus ad colendum hoc præceptum diligentius cohortari debet.

*Primo.* — Illi sunt qui lusionibus non honestis delectantur, aut qui ludis immoderate abutuntur.

*Secundo.* — Mercatoresque item qui rerum penuriam annonæque caritatem expetunt, atque id ægre ferunt, ut alii præter ipsos sint qui vendant aut emant, quo carius vendere aut vilius emere ipsi possint.

*Tertio.* — Qua in re item peccant qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipsi lucrarentur.

(a) Jac. 5, 14.— (b) 1 Joan. 2, 16.— (c) Marc. 4, 18, 19.

*Quarto.* — Peccant etiam milites qui bellum expetunt, ut furari ipsis liceat.

*Quinto.* — Medici item qui morbos desiderant.

*Sexto.* — Jurisconsulti qui causarum litiumque vim copianque concupiscunt.

*Septimo.* — Tum artifices qui, quæstus avidi, omnium quæ ad victum cultumque pertinent penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant.

*Octavo.* — In hoc præterea genere graviter ii peccant qui alienæ laudis gloriæque avidi atque appetentes sunt, non sine aliqua famæ alterius obtreactione: idque præsertim, si qui illam appetunt, ignavi, nulliusque pretii homines sunt; fama enim et gloria virtutis atque industriæ, non ignaviæ, aut inertiae, præmium est.

## PARS QUARTA.

### DE ORATIONE.

#### *Parochorum onera hac in parte.*

I. In officio et munere pastorali cum primis necessaria est ad salutem fidelis populi præceptio christianæ precationis, cujus vim ac rationem multos necesse est ignorare, nisi pia et fideli pastoris diligentia tradita sit. Quamobrem præcipua parochi cura versari debet in eo, ut pii auditores intelligant quid a Deo et quomodo orandum sit.

#### *Oratio dominica memoria tenenda est.*

II. Omnes autem necessaria precationis numeros continet divina illa formula quam Christus Dominus Apostolis et per illos eorumque successores omnibus deinceps, qui christianam religionem susceperent, notam esse voluit: cujus verba atque sententias sic animo ac memoria comprehendere oportet, ut in promptu habeamus. Ut autem in hac orandi ratione suppeditet parochis facultas instituendi fideles auditores, quæ magis opportuna visa sunt, hic proposuimus, sumpta ab iis scriptoribus, quorum eo in genere, doctrina et copia maxime laudatur; nam reliqua si opus fuerit, pastores ex eisdem fontibus haurire poterunt. *De oratione scripserunt Tertullian. Cyprian. Aug. Epist. 111, ad Probam. Chrysostom. Hom. 15. Cassian. l. 9. Collat. Div. Thom. in opuscul et 2, 2 quæst. 85, per 17, art.*

### DE NECESSITATE ORATIONIS.

#### *Oratio necessaria est.*

I. Primum igitur docendum est quam sit oratio